

III. Quoad *πραγμαθολογία* Philologiae Causa Efficiens Principalis est Spiritus Sanctus, qui ut Apostolis olim donum Lingvarum *immediatè* contulit, sic hodiernum exsuscitat & accendit in nobis ignem amoris erga studia literarum, præcipuè autem Lingvæ S. quâ sibi Ecclesiam colligit. Clariss. Dn. Præs. è Förstero cit. in Proœm. p. 160. fin.

IV. Causa Impulsiva vel est Interna, vel Externa. Interna est *φιλομάθεια και φιλοπνία* Proœm. p. 48. (in Amphilochio Iconii Episcopo à Basilio commendata p. 1.) quas Amor verbi divini, è vivâ pietatis flammâ exurgens, in nobis accendit. Proœm. p. 83.

V. Externæ dantur variæ, quæ partim à *Necessitate & Utilitate*, partim à *damno Consequente*, desumuntur.

VI. *A necessitate* hæc sunt. Quia (1.) Lingvarum cognitio ad Ecclesiæ veritatisq; propagationem & conservationem multum confert. Franz. p. 86. (2.) sine fontibus nemo perfectum Scripturæ sensum consequi potest. Melancht. p. 67. verbum enim DEi in eâ Lingvâ rectissimè intelligitur, in quâ promulgatum. Franzius. p. 86. (3.) ad dogmatum explicationem solidam plurimum facit. Melancht. p. 67. Res enim ipsæ in Scripturâ, voce divinâ patefactæ, non nisi ex verâ & genuinâ significatione verborum intelligi possunt, omnisq; error in verbis veritatis jacturam parit in rebus. Chemnit. p. 85. (4.) sententiæ suæ nemo certus esse potest, fontes ita, & non aliter habere. (5.) nemo de controversiis rectè pronunciare potest, nisi fontibus inspectis. Melancht. p. 66. 67. (6.) neglectis his adminiculis nemo in studio Theologico feliciter potest versari. Jac. Marrini in *Vernunft-Spiegel*. cit. p. 86. jacto autem in his lingvis benè fundamento, eò ampliores in Theologiam progressus facere licebit. Chemnit. p. 85. Sic de Förstero testatur Melchior Adami, quod fundamentis Lingvarum felicissimè superstruxerit Theologiam p. 73. Hinc in Belgio omnes Theologiæ Studiosi, ad officium aspirantes, profectuum suorum in Sacris Lingvis exhibere specimina ex Decreto Synodi Harlingensis jubentur. Proœm. p. 159, 160.

VII.